



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Catalogus Episcoporum Hildesiensium**

**Letzner, Johannes**

**Hildesheim, [ca. 1690]**

XXV. Berno

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](#)

reptâ tabulâ solus evasit, atque ad littus Siciliæ prope Syracusam appulsus Hierosolymain contendit: In reditu in Secusiensi Cœnobio spiritum D E O redditidit Anno 1174. 9. Julii. Miraculis ibidem clarus.

**X X I V . A D E L O G U S** Cùm aliquot annis inter primos è Clero in Cæsarîs Aula substitisset, & Præpositum Regalis Ecclesiæ Goslariensis priùs egisset, deinde illi, ob raras virtutes, prudentiamque prorsus singularem ac generis excellentiam, Hildesiensis Ecclesiæ cura omnium suffragiis demandata est. Anno 1180 Comitiis imperialibus à Friderico I. Imperatore Erfurti habitis interfuit. Comitatu Dasselensi, & Baronatu Homburgensi Patrimonium B. MARIÆ Virg. auxit. In Terram sanctam cum Friderico Imperatore profectus, Anno 1190 Hildesium rediit, & 20. Septembris vitam clausit, in medio Cryptæ conditus.

**X X V . B E R N O** Eruditionis, sapientiæ, omniumque virtutum splendore, primò Scholastici, tum Decani, denique Episcopi dignitatem promeruit, Ecclesiæ bona nonnulla vel pignori opposita vel in feudum data redemit, Præbendarum redditus auxit: S. Bernwardi recenter inter Divos relati cineres & ossa ex humiliore tumulo, in quo 171. annis delituerant, sustulit, & pretiosæ tumbæ inclusit, ac partem eorum ad Cathedram Ecclesiæ transtulit Anno 1194. ubi mira res omnibus visa, & virtuti Divinæ adscripta, vestem Sacerdotalem, seu casulam viridis coloris aureo filo intertextam sesqui seculo nihil vitii contraxisse ex hu-

more loci aut tabe putrescentis corporis, sed integrum & illæsam hodie dum perdurare. Obiit tandem Berno Anno 1198. Octavo Episcopatus anno. Sepultus in navi Cathedralis Ecclesiæ.

**XXVI. CONRADUS I.** Ex illustri Comitum Familia, vel de Querfurdt, ut sentit Letznerus, vel Reinstein aut Rabenspurg; ut vult Bruschius, S. R. I. Cancellarius, vir literatus & facundus, cum Imperatore Friderico Barbarossa Anno 1189. profectus est in expeditionem Hierosolymitanam, cumque is in Armenia mersus in amne deficeret, Fridericus Filius Imperatoris & Conradus Cancellarius curam exercitus suscepere, & in Terra sancta rem diu sustinuere. Sub ejus ductu inchoatus est Ordo Teutonicorum Militum Divæ MARLÆ, initium facientibus Civibus Bremenibus atque Lubecensibus. Krantz. l. 7. Metrop. c. 9. Resignato subinde Episcopatu Lubecensi, Conradus Hildesiensem adiit Anno 1198. ac postea Herbipolensem, suasu Philippi Regis, Sueviæque Ducis. Vir fuit summæ apud omnes authoritatis, justi & æqui amantissimus, prædonum latronumque osor summus. A duobus Equitibus auratis, in Francia Orientali, ob facinus aliquod ab ipso reprehensis, ex insidiis inopinatò imperfectus, Anno 1203. 3. Decembris, summo omnium luctu in Chorum Basilicæ deportatus & ibidem sepultus est.

**XXVII. H A R B E R T U S** Ex Familia Nobilium de Bevelde per gradus Officiorum Canonicorum, Cantoris, Præpositi, ad apicem Episcopatus concendit; ob raras corporis & animi dotes, spemq; eximiam